



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Corbeiensi Abbati.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

## 166      Epistolarum Innocentij III.

tam Abbatis quam Corbeiensis conventus prourationem habebant, sicut nobis constitit per publicum instrumentum, vice nostra obedientiam reciperent manualem, facta renuntiatione consuetudinis antedictæ. Qui tam in consuetudinis ipsius renuntiatione quam in obedientia exhibenda nostrum adimplentes mandatum, litteras super hoc suis signatas sigillis apud nos dimittere procurarunt. Quocirca discretioni vestra per apostolica scripta mandamus quatenus quod factum est per nuntios antedictos ratum habentes, de cetero hujusmodi pravam consuetudinem nullatenus observertis. Datum Laterani v. Nonas Maij, anno undecimo.

### ABBATI ET CONVENTVI Corbeiensi.

*Epiſt. 74.  
Conceduntur  
eis quadam  
privilegia.*

**Q** Vanto Corbeiensem Ecclesiam nobis & Ecclesiæ Romanae devotionem sumus experti, tanto rationabiles petitiones pertinentes ad ipsam inducimus specialius exaudire. Cum ergo monasterium vestrum ab omni jurisdictione ejuslibet Episcopi præterquam summi Pontificis sit exemptum, praesentium vobis auctoritate concedimus ut ordines monachorum vestrorum & consecrations altarium seu basilicarum quæ fuerint infra eisdem monasterij ambitum constituta, necnon christi & oleum sanctum, ac cetera Ecclesiæ sacramenta recipere vobis licet à quoquacatholico Episcopo malueritis gratiam apostolicæ sedis habente. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani 11. Kal. Maij, anno undecimo.

### CORBEIENSI ABBATI.

*Epiſt. 75.  
De eadem re.*

**Q** Ut in alia usque exaudire. Quapropter devotioni tuae praesentium auctoritate concedimus ut officiales monasterij tui, qui fratrum præbendam contra iustitiam detinuerint, canonica tibi licet districione compellere ad iustitiam, sicut debent, super hoc sub tuo examine faciendam, districtus inhibentes ne predicti officiales per laicis sententias injustitiam in usus suos stipendia monachis deputata convertere quavis temeritate præsumant. Nulli ergo &c. nostræ concessionis & inhibitio-  
nis &c. Si quis autem &c. Datum ut in alia.



P A T R I A R C H A E  
Constantinopolitano.

**C** Ontra pessimam pestem adversus universalem Ecclesiam Constantino- poli nuper exortantem tantò severius nos oportet apostolicam exercere censuram quantò perniciosius in veterata corrumperet & altius cresceret radicata. Non igitur in tui derogationem honoris, quem, quantum cum Deo possumus, illæsum cu- pinus conservare, sed in destructionem peccatis ipsius, quam diligent studio inten- dimus abolere, ad ea quæ subscripta sunt nos cum debita noveris processisse caute- la. Sanè cùm olim tua nobis fuisse elec- tio præsentata, nos sollicitè attendentes

*Epiſt. 74.  
Rodargente  
de multa ex-  
cessibus.*

*Vide geſta In-  
noc. III. cap.  
96. & 97.*

temporis in Canonicos sanctæ Sophiæ canonicæ fuerant instituti, eam de consilio fratrum nostrorum in publico consistorio publicè duximus irritandam, immo verius irritam denuntiavimus extitisse. Postmo- dum verò de gremio sedis apostolicæ Constantinopolitanæ volentes Ecclesiæ provide, cùm Subdiaconus noster esset, nec peccasset in electione priori, tam- quam qui fueras inscius & absens electus, si tamen talis nominatio electio possit dici, te ad eandem Ecclesiam eligentes, cu- jus provisio tunc ad nos tantummodo per- tinebat, in Diaconum primò, ac post- modum in Presbyterum ordinare curavimus, & tandem ministerio nostro in Epis- copum consecratum honore pallei deco- rare. Licet autem sic ordinatus, conse- cratus, & palleatus à nobis Constantino- polim accessisset super toto processu negotio nostras litteras tecum ferens, per quas mandabatur univerfo clero apud Constantinopolim constituto ut exhibe- rent tibi obedientiam tam debitam quam devotam, clerici tamen de parte peregrinorum id facere recusarunt, firmiter asse- rentes quod à nobis hæc omnia per sup- pressionem extorferas veritatem. Cùmque tam per te quam per dilectum filium no- strum Petrum tituli sancti Marcelli Pres- byterum Cardinalem tunc apostolicæ sedis Legatum ipflos ad exhibendum tibi obedientiam monuissest, ipsi, ne ad id ali- quatenus cogerentur, ad sedem apostoli- cam appellarent, quorum appellationi eti- si prædictus detulerit Cardinalis, non tam propter formam canonica quæ quia primò interponebatur in Ecclesia Con- stantinopolitanæ, quæ nuper fuerat ad de-